Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Longino

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

non ordinaverant facientes. Manus suas ambas apponunt et utrumque missale super altare apertum invenerunt. Vel ut alii asserunt missale gregorianum prius dissolutum et huc illucque dispersum invenerunt, ambrosianum vero solummodo apertum super altare in eodem loco in quo ipsum posuerant repperunt. Quo signo divinitus sunt edocti ut gregorianum officium debeat per totum mundum dispergi, ambrosianum vero in ecclesia sua observari. Sicque sancti patres ut divinitus edocti fuerant statuerunt et sic usque hodie observatur. ¶ Narrat Johannes diaconus qui vitam beati Gregorii compilavit quod dum vitam eius conscriberet et compilaret, quidam vir sacerdotalis insigniis ei dormienti et ad latus eius sedens videbatur scribendo astitit cui desuper candidissima vestis erat et adeo tenuissima erat ut ea intrinsecus nigredo subtilioris tunice appareret. Hic autem propius accessit et inflatis buccis risum continere non potuit. Cumque Johannes eum interrogaret cur vir tanti honoris officii sic dissolute rideret, ait: Eo quod tu scribis de mortuis quos viventes nunquam vidisti. Cui Johannes: Etsi illum non novi, facie tamen de illo scribo que divina lectione didici. At ille: Tu inquit ut voluisti fecisti et ego quod faciet postmodum non cessabo. Moxque illi lumine latius extincto et adeo ipsum percutit ut vehementer exclamans putaret se ab illo gladiis iugulatum. Moxque Gregorius affuit comitante sancto Nicolao dextrorsum beato sinistrorsum vero Petro diacono eique dixit: Modice fidei, quare dubitasti? Cumque post cortinam lecti adulterum latitantem Gregorius extrahens per draconium magnum quem tenere videbatur arripiens eiusque flammis os faciemque ipsius adurens ad instar ethiopis denigravit. Quedam autem scintilla pusilla candens in eius veste candidam ipsam decidit ac conflagravit et sic nigrum totum apparuit. Dixitque Petrus beato Gregorio: Satis denigravimus eum. Cui Gregorius: Nos eum non denigravimus sed nigrum fuisse demonstravimus. Sicque ab eo velut cum multo lumine abierunt.

De sancto Longino
d' noie

Longinus fuit quidam centurio qui cum aliis militibus cruci domini astans iussu Pylati latus domini lancea perforavit et videns signa que fiebant, solem scilicet obscuratum et terremotum, in Christum credidit. Maxime ex eo ut quidam dicunt quod cum ex infirmitate vel senectute oculi caligassent, de sanguine Christi per lanceam decurrente fortuito oculos suos tetigisset et protinus clare vidit. Unde renuntians militie et ab apostolis instructus in Cesarea Cappadocie xxviii annis monasticam vitam duxit et verbo et exemplo plurimos ad fidem convertit. Cum autem a preside detentus fuisset et sacrificare nollet, iussit preses omnes dentes eius excuti et linguam abscidi. Longinus tamen loquelam non perdidit sed acceptam securim omnia ydola comminuit et frangit dicens: Si dii sunt videbimus. Demones autem de ydolis exeuntes in presidem et omnes socios intrant et insanientes et latrantes se Longino pedibus prosternunt. Et ait Longinus demonibus: Cur habitatis in ydolis? Qui respondunt: Ubi Christus non nominatur et eius signum non est positum, ibi est habitatio nostra. Cum ergo preses insaniret et oculos amisisset, dixit ei Longinus: Scito quia sanari non poteris nisi cum me occideris. Quam cito enim a te mortuus fuero, pro te orabo et sanitatem corporis et anime impetrabo. Et statim eum decollari iussit. Post hec abiit ad corpus eius et prostratus cum lacrimis penitentiam egit et continuo visum et sanitatem recepit et in bonis operibus vitam

finiunt. De sancto Benedicto [illegible]

Benedictus dictus est vel quia multos benedixit, vel quia in se in vita multas benedictiones habuit, vel quia omnes benedicebant de eo, vel quia eternam vitam benedictionem meruit. ¶ Benedictus ex Nursia provincia ortus cum Rome liberalibus studiis traditus esset adhuc in sua infantia litteras deseruit et desertum petere decrevit. Cuius nutrix sua que eum tenerrime diligebat usque in quendam locum qui dicitur Effide secuta est. Ubi ad purgandum triticum mutuo capisterium petiit et super mensam ponens casu lapsum et fractum in duabus partibus factum vidit. Quod Benedictus flere conspiciens post capisterium accepit et ab oratione surgens integre solidatum invenit. Post modum nutricem occulte fugiens in quendam locum venit. Ubi tribus annis hominibus incognitus mansit excepto quodam monacho Romano nomine qui sibi victualia ministrabat. Cum vero ad speluncam a monasterio Romani non esset pervium, in longissimo fune ligabat et sic deponens eum concedebat. Tintinnabulum etiam ipsi corde inseruit ut ad eius sonum vir dei cognosceret quando sibi Romanus panem porrigeret exiens acciperet. Sed antiquus hostis unum cantum et alteri invidens iactu lapidem iactavit et tintinnabulum fregit. Sed cum eidem Romanus ministrare non desisteret, post hec cuidam presbytero prandium sibi in paschali sollempnitate paranti dominus per visum apparuit dicens: Tibi tu delicias preparas et servus meus in loco illo fame cruciatur. Qui protinus surrexit et cum difficultate magna eum inveniens dixit: Surge et sumamus cibum quia hodie pascha domini est. Cui Benedictus: Scio quia pascha est quia videre te merui. Longe quippe ab hominibus positus quia die illo pascha esset ignorabat. Cui presbyter: Veraciter hodie resurrectionis dominice dies est. Abstinere te non convenit quod ob hoc ad te missus sum. Sicque deum benedicentes sumpserunt cibum. ¶ Quadam die avis quedam nigra que merula vocatur importune eius faciem volitavit ita ut ab eo manu capi potuisset. Sed crucis signo edito avis recessit. Post hec diabolus quandam feminam quam aliquando viderat ante eius mentis oculos reduxit et eius animum tanto igne in specie eius accendit ut pene heremum voluptate victus deserere deliberaret. Sed subito divina gratia ad se reversus vestimentis se exuit et in spinis et urticis que ibi aderant nudum se volutavit ut toto corpore inde vulneratus exiret et per cutis vulnera mentis vulnus eduxit. Vicit itaque peccatum quia mutavit incendium. Ab illo autem tempore nulla per eum temptatio carnis pullulavit. ¶ Crebrescente itaque fama cum abbas in monasterio quodam obiisset tota ipsius monasterii congregatio simul ad eum venit et ut eis preesset exposcit. Qui diu negando distulit suis illorum quia fratrum moribus se convenire non posse predixit. Sed tandem victus assensum dedit. Cumque ille ad regulam districtam faceret observari, compellentes se ipsos reprehendebant quia ipsum sibi prelatum poposcerunt, quia scilicet tortitudo eorum in norma eius rectitudinis offendebat. Cumque sibi cum eo conspicerent illicita non licere et solita assueta relinquere, vinum veneno miscuerunt et sibi recumbenti obtulerunt. Sed Benedictus signum crucis edidit et quasi iactu lapidis vas illud vitreum fregit. Intelligens quia potum mortis habuerat quia portare non potuit signum vite. Illico surrexit et vultu placido dixit: ...